

teneros adhuc annos componere (Seneca, lib. 2, *de ira*). Si pueros erudire, corrivere, et bene instituere differas, quousque grandiores natu erunt: correptionibus a te factis, et institutis a te datis non proficiunt; imo fortasse te, tuaque monita et præcepta irridebunt. Quare a primis eos annis bene educare incipe: maximam ex tunc diligentiam adhibe; quia *facile est teneros adhuc annos componere*. Sicut sigillum molli ceræ facile imprimitur, ita et puerorum ingenia sunt veluti cera mollis, cui facile quæ voles, bonæ educationis documenta exarabis: *teneri puerorum animi sunt instar ceræ, in qua facilius imagines exprimuntur* (S. Basil. in reg. fusius disput.). Ne itaque expectes dum hæc obdurescat cera; ne expectes donec creverint, et grandes facti sint filii tui; a tenerioribus annis, et ut primum rationis compotes esse incipiunt, prima eos pietatis doce elementa; et tunc erudi illos, mone illos, et illos vel in minimo mentiri, vel minimum, te presente, verbum charitati contrarium proferre prohibe, et increpa si non optemperent. Argue illos cum levissimis quibusque iuramentis se dedunt; horrorem peccati eisingere, eisque virtutis amorem infunde. Fac ut mane et sero precibus tunc fieri solitis sedulo incumbant: sacrosancto Missæ sacrificio singulis diebus, quantum fas erit, eos adstare cura: eos in templo modestos esse, ac frequenter peccata confiteri satage. Hæc et alia his similia trade vitæ christianæ instituta, quibus eos a vitiis avertes, tibi que ac filiis tuis gratiam in hoc mundo, et æternam in cœlo gloriam conciliabis. Amen.

FERIA VI POST DOMINICAM PRIMAM.

DE HUIUS VITÆ VANITATE.

Jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aque motum (Joan. 5, 3).

Ex omnibus hujus mundi bonis, nullum sane ardentius amatur quam vita, quantumvis misera, ærumnosa, multisque peri-

culis referta appareat. Scimus in hoc mundo magnam jacere cæcorum, claudorum, aridorum, et omnis generis infirmorum multitudinem; nos non latent miseriæ et pericula, quæ undique nos circumdant: mala plurima patimur, dolores multos portamus, afflictionibus quandoque obruimur; inter has tamen calamitates et miseriæ vitam prorogare, ac diutius vivere semper cupimus; et ut ait S. Chrysostomus, *nihil nobis suavius, quam non mori*. In hunc mortalitatis vitæ affectum inveli, quæ mei non est animi; hæc est innata cuique propensio, quæ mala esse non potest, modo nimia et inordinata non sit, et modo æternæ vitæ affectum in nobis non restinguat; vitam enim hanc mortalem amare malum non est; sed eam nimis et inordinate amare, hoc malum est. Quare ut nimium vitæ amorem temperare valeam, utque homines ad hanc vitam remissius amandam inducam; quid sit vita nostra mortalitatis, ingenue et sincere proponere et explicare conabor. *Ave*.

Quod sit humana vita, varii varie explicant. Multi, ut in divinæ Sapientiæ libro legimus, eam ludum puerilem esse sentiunt; *æstimaverunt lusum esse vitam nostram* (Sap. 15, 12). Sanctissimus propheta Job eam nihil aliud esse ait, quam militiam continuam, quia in hoc mundo adversus carnis illecebras, mundi fraudes, et tartareas potestates indesinenter pugnare debemus: *militia est vita hominis supra terram*. Vita nostra, inquit idem propheta, nil aliud est quam ventus levis, qui velocissime transit: *ventus est vita mea*. Si credamus S. Jacobo apostolo, vita nostra est vapor exiguus qui facillime resolvitur et dissipatur: *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens* (Jacob. 3, 15). Hæc omnes vitæ humanæ descriptiones vanitatem ejus mirifice explicant, hominesque ad ejus contemptum non parum alliciunt. Verum ut ad eam minus amandam, magisque contemnendam illos fortius pertraham, dicam quod vita nostra 1. somnium est; 2. comœdia est; 3. peregrinatio est. Vita nostra *somnium est*; ideo non æstimanda. Vita nostra *comœdia est*; ergo non amanda. Vita nostra *peregrinatio est*: ideo contemnenda. Vita nostra est somnium, comœdia et peregrinatio: en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Vita nostra somnium est.

Corporis pulchritudinem, sanitatem et robur, non veras res, sed vera somnia esse asserit Philo judæus; « quid, inquit, res corporis? nonne somnia sunt? nonne pulchritudo momentanea pene prius marcescit, quam floreat? sanitas incerta, nonne infirmitatibus obnoxia? nonne robur expugnabile per occasiones plurimas? nonne sensuum integritas humoribus vitiosis facile corrumpitur? » Quid ergo hæc omnia, quæ tam facile corrumpuntur, quæ tam cito transeunt et pereunt? *nonne somnia sunt?* Si vero quæ ad corpus spectant, somnio comparantur, quia mutationi obnoxia; pari ratione, inquit præfatus auctor, non minus somnia dicenda sunt omnia bona externa, quæ tanti facimus. Scimus enim, quod « ingentes opes sæpe una dies abstulit; multi honoratissimi, anteveris rerum vicibus, in contemptum venerunt cum ignominia; imperia regum maxima brevi temporis momento subversa sunt. Fidem verbis meis astruit Dionysius Corinthi (1); Croesus rex Lidæ, qui non modo proprium regnum amisit, sed vivus in potestatem hostium redactus, minimum abfuit quin exureretur. Testantur de hujusmodi somniis non singulari tantum, sed civitates, gentes, regiones, Græcia, Barbaria, Insularum incolæ, Europa, Asia, Oriens, Occidens; quid enim usque nunc permanet sui simile? » hæc omnia quasi somnia sunt, quia non secus ac somnia, continuis mutationibus et vicissitudinibus obnoxia sunt. Quid autem de vita nostra dicet jam laudatus auctor? eamne somnium dicet?

(1) Hic Dionysius, dictus junior, Dionysii senioris Siciliae regis filius, quarto ante Chr. sæculo, regno bis potitus, eoque bis detrusus, tandem Corinthi se recepit ubi ludimagistrum agere coactus fuit ad vitæ necessitatem. Hæc adnotasse oportebat ut innotescat quomodo ejus exemplum congruat ad honorum omnium terrestrium vanitatem et inconstantiam ostendendam.

eam somnium et vigilantium somnium vocat. Somnia a dormientibus fiunt; somnium enim est phantasma in somno factum, id est, apparitio phantastica in somno facta; vita autem nostra, ait Philo, non dormientium, sed vigilantium est somnium; *vigilantium, non dormientium somnium, ne quid mentiar, est vita hominum.* Non solum asserit, sed etiam perfecte probat judæus ille auctor, somnium esse vitam nostram, variasque ad hoc probandum rationes adducit; quarum prima hæc est. Quia sicut in *somniorum visionibus, videntes non videmus; audientes non audimus; gustantes, aut tangentes, nec gustamus, nec tangimus; loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus;* ita et toto vitæ hujus mortalis tempore, tam imperfecte videmus, audimus, loquimur, cognoscimus, et ratiocinamur, ut quasi videntes non videamus, audientes non audiamus, loquentes non loquamur, cognoscentes non cognoscamus, et ratiocinantes non ratiocinemur. Quod ut quam verum sit, pateat, quid, queso, sunt visiones, cognitiones, et ratiocinationes, nostræ, si eas cum visionibus, cognitionibus et ratiocinationibus Angelorum conferamus? Cælestes quidem illi spiritus ita perfecte vident, cognoscunt, ratiocinantur, ut nos, respectu eorum, quasi somniamus, ac videntes non videamus, cognoscentes non cognoscamus, ratiocinantes non ratiocinemur: ac proinde vita nostra quasi somnium; *vigilantium, non dormientium somnium est vita hominum.* Eandem rationem latius prosequitur Philo, dicens, vitam nostram esse quasi somnium, quia sicut in somniis res perfecte non comprehendimus, in iis ratio nostra sic turbida, sic confusa manet, ut cæcitiens caliginem patiatur et vertiginem, ita et toto vitæ nostræ tempore, *tanquam altum dormientes erramus, non valentes quidquam ratiocinatione vel penetrare, vel certo comprehendere, quando cuncta umbris spectrisque sunt similia.* O qualem vitam! quæ somnium potius quam vita dicenda est. Quod et alia ratione probat Judæus philosophus dicens, quod sicut somnia vix inciperunt cum abeunt, ipsumque eorum incipere est desinere; ita et vita nostra per varias ætates distributa, una ex his alteram interimit, ac semper earum

est continua mutatio, et fit ex una in aliam continuus transitus: unde nil in ea firmum apprehendimus, non secus ac si somniaremus. *Qui est vetate provector, is fuit aliquando infans, mox puer, deinde pubens, deinde adolescens, postea juvenis, postea vir, postremo senex: sed non simul omnia; nonne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescens juveni, juvenis viro, vir seni, senex morti? et fortasse singula ætates decedendo præmoriuntur.* Hæc omnia tam cito transeunt, tamque instabilia sunt, ut tota vita nostra quasi somnium sit: *vigilantium non dormientium somnium, ne quid mentiar, est vita hominum.* Fabulam et somnium esse vitam nostram asserit Chrysostomus: *fabula quædam et somnium est vita nostra.* Cur somnium vocat vitam hanc, quam tanti facinus, quam tanto amore prosequimur, quamque ut servemus, crudeliter facile incisiones patimur, et amaras quasque potiones libenter haurimus? somnium, inquit, est vita nostra; quia *sicut omnia corruscante luce avolant somnia; ita nunc quoque veniente morte, omnia dissolvuntur et evanescent.* Experientia compertum est, quod nonnunquam somniamus, multarum nos divitiarum esse dominos, amplissimo quodam nos potiri regno, magnisque honoribus perfrui. Quamdiu hoc durat somnium, gaudemus interius, quasi hæc omnia verissima essent: cum autem a somno excitamur, hæc omnia evanescent, eaque non nisi somnia extitisse cognoscimus. En veram totius vite ideam, quæ nil aliud est quam somnium phantasticum: *somnium est vita nostra.* Qui enim summi pontifices, imperatores, reges et principes in hoc mundo fuerunt, cum instante mortis tempore, præterita inspiciunt, et ad dignitates quas possederunt, mentem et oculos convertunt, ea omnia veluti vigilantium somnia extitisse agnoscunt: *quia sicut omnia coruscante luce avolant somnia; ita nunc quoque veniente morte, omnia dissolvuntur et evanescent.* Cum quis dormiens somniat se thesaurum invenisse, tamdiu se divitem æstimat quamdiu illud somnium perseverat; sed cum evigilat, statim dives esse desinit; huncque thesaurum, et has divitias, quarum se possessorem et dominum arbitrabatur, imaginarias,

et verum somnium extitisse cognoscit. Somnium eum divitem faciebat, et evigilatio illum pauperem efficit. *Qui videt per somnium invenisse se thesauros, tamdiu dives, quamdiu non evigilat. Somnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem facit* (August. in Psal. 35). O jucundum somnium, quo durante, homo dives! O amara vigilia, qua veniente, homo ex divite pauperrimus evadit! En veram vite nostræ imaginem: *somnium enim vita nostra est*, in qua qui se divites et potentes esse arbitrantur, quasi somniant; unde cum in morte evigilant, quasi a somno et somnio excitati, ita se pauperes et inopes esse experiuntur, ut nil in manibus suis inveniunt: *dormierunt somnium suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (Psal. 75, 6).

Quis Salomone sapientior? quis eo ditior? quis honoratior et potentior fuit? cum tamen regæ majestatis, qua potitus fuit, meminit, de ea veluti de somno loquitur: *ego inquit, rex fui Israël in Jerusalem* (Eccles. 1, 12). Non dicit rex jam sum, sed *rex fui*; quasi tunc rex non esset. Latini de mortuo qui modo non est, dicunt, *fuit, vixit*; at Salomon, cum hæc verba protulit, rex erat, et rex usque ad vite finem permansit; ut quid ergo ait, *rex fui*, quasi tunc rex non esset? Respondet Hugo a sancto Victore, sic explicanda hæc Salomonis verba: *Rex fui, jam non sum; quia etsi sum, idipsam jam nil esse agnosco, quod sum.* Quasi dicat: *fui rex*, quia a mundi pompis, et terrena gloria inebriatus, persuasi mihi et quasi somniavi in regno quid magnum, quid solidum, quid permanens, ac corda hominum quietans et beans inveniri; verum jam rex non sum, quia celesti favore adjunctus, a somno meo quasi excitatus et experrectus agnosco, omnia regna, omnem mundi gloriam, et ipsam hominis vitam, nil nisi somnia esse: *somnium est vita nostra.* Ut autem non solum ab extraneis testimonium inquiramus, unumquemque hominum qui in hoc mundo vixerunt, et qui in eo adhuc vivunt, compello. Dicant omnes, quid de vita sua sentiant? Dicat Summus Pontifex, dicat Imperator, dicant quotquot in hoc mundo sunt, quid præteritum omne vite suæ tempus esse arbitrentur? Certe, si sincere loquantur,

et præteritum omne vitæ suæ tempus, et omnia quæ toto vitæ suæ tempore cogitarunt, dixerunt vel fecerunt, vera somnia fuisse, et veluti somnia avolasse fatebuntur. Inter reges potentissimus, et inter sapientes sapientissimus Salomon, cui nihil deliciarum et honoris defuisse constat, cum ad præteritum omne vitæ suæ tempus animum convertibat, nihil in ea nisi vanitatem, inanitatem; somnia, et quasi nihilum videbat: *vanitas vanitatum*, inquit, *et omnia vanitas*; vel ut alia versio habet: *inanitas inanitatum*, vel ut alii legunt: *nihilum nihil, et omnia nihil*. Dic tu: *somnia somniorum et omnia somnia* (Ecl. 1, 3); quia si totum quod vitæ nostræ præterit tempus serio inspiciamus, nil in ea nisi somnia, et quasi nihilum videbimus; *somnium est vita nostra*. O qualem vitam! seu potius, o quale somnium! ideo o quam imprudentes qui phantasticam hanc vitam tanto affectu diligunt, quam insipientes qui eam non fastidiunt, ut ad æternam anhelent! quam stulti qui ea non utuntur, ut veram, felicem et sempiternam beatorum vitam consequantur! *Vilescat mundus*, inquit S. Augustinus, *ametur a quo factus est mundus*. Dico similiter; vilescat hæc vita, et ametur æterna vita. *Vilescat hæc vita, quia somnium est*; at vilescat etiam hæc vita, quia *comœdia est*.

II PARS.

Vita nostra comœdia est.

Humana vita, magna quædam est comœdia, quæ a mundi primordio usque ad ejus finem representari non desinit; *scena quædam est vita nostra* (Chrys. ho. 15 in Ep. ad Hebr.). Hujus comœdiæ theatrum est totum terrarum orbis; actores vero sunt imperatores, reges, principes, iudices, mercatores, domini et servi, divites et mendici, senes et pueri, sapientes et stulti, peccatores et justi, ac cuncti penitus mortales, qui omnes in hunc mundum velut in amplissimum theatrum ingrediuntur,

et ab eo velut a theatro discedunt; *unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus* (Sap. 7, 6). Hujus tandem comœdiæ speculatores sunt Deus et Angeli, qui diebus et noctibus nos omnesque actus nostros prospiciunt. In comœdia variæ induci solent personæ; alii enim regis, alii militis, alii agricolarum, alii opificum personam, dum agitur fabula, sustinent; qua peracta, tota illa personarum varietas finitur, omnesque pristinam speciem, atque habitum resumunt; nec quisque laudatur, vel præmiatur juxta personam quam gessit, sed juxta modum quo personam suam gessit. Vita autem nostra est similiter magna comœdia; et ut loquitur sanctus Chrysostomus, *non est theatralibus scenis vita nostra dissimilis. Nam ut illic ille imperatoris, ille judicis, alter militis implet officium, ubi autem nox consecuta fuerit, nec imperator agnoscitur imperator; nec judex, qui fuerat judex, videtur; nec miles, qui fuit miles: ita unusquisque nostrum in futuro sæculo, non de personis, sed de rebus, atque de actibus competentem accipiet dignitatem*. In comœdia personam suam non quisque eligere, sed eam acceptare et sustinere debet, quam magister dederit; experti enim magistri est agnoscere ad quid quilibet actor sit idoneus, et quæ cuique persona conveniat. Unde, ut ait Epictetus, non est cujuslibet, personam quæ ipsi placuerit suscipere; sed eam, quam magister probaverit, accipere et gerere quisque debet. *Si magister medicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniose representes; ita si claudum, si principem, si plebeum, hoc enim tuum est, datam personam bene effingere, eam autem eligere, alterius* (Epictet. c. 23). In magna similiter humanæ vitæ comœdia, non quisque personam suam eligere debet, sed eam agere, quam Deus voluerit: *obsecro vos*, inquit D. Paulus, *ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* (Ephes. 4, 1). Quasi dicat, obsecro vos, ut hanc personam agatis, quam Deus voluerit. Vult Deus, ut in hoc mundo viri religiosi personam geras, hanc gero; vult ut iudicis, predicatoris, vel prælati personam sustineas, hanc sustineo; vult ut partes agas episcopi, abbatis, parochi, vel viri consularis, has

age; ambula vocatione qua vocatus es, et personam gere, quam Deus voluerit. Sicut in musica esset discordia magna, si bassus vellet superiorem canere, ita et in vita humana summa esset confusio, si quis personam a Deo sibi datam nollet agere, sed aliam; summa esset deordinatio, si religiosus, non religiosi, sed ducis exercituum; si prelatus, non prelati, sed militis; et si quilibet non personam ad quam a Deo electus est, sed aliam gerere vellet. Quapropter ambula vocatione qua vocatus es, et in vitæ humanæ comœdia, quam tibi Deus dederit, *fac, eam quoque personam ingeniose repræsentes*. Non satis est, quod in comœdia quisque personam agat, quam magister voluerit, illam recte et perfecte agere debet; spectatores enim non attendunt, an quis pontificis, imperatoris, legati, medici, vel medici personam agat, potius quam bene quisque agat personam quam sustinendam suscepit: quo fit, ut qui in comœdia partes rustici agit, sæpe plausum præ rege referat, et ut qui morionis personam gerit, sæpe imperatorem exsuperet. Quod autem in aliis comœdiis hoc idem in humanæ vitæ comœdia accidit: in ista enim Deus, ut summus et prudens magister suas, cuique partes distribuit? Huic regis, illi militis; huic monachi, isti iudicis partes sustinendas dat, et hoc solum exigit, ut quisque strenue et perfecte partes suas agat. Itaque a Deo tibi datam personam sustine, et hanc quantum poteris, perfecte age. *Si iudex es*, ad munera ne respicias, ad dexteram vel ad sinistram ne declinas, jus cuiusque tuere *si medicus es*, diu noctuque ægotantibus, etiam pauperibus, ex charitatis affectu subveni. *Si advocatus*, causas pupillorum et viduarum non protrahas, non negligas, omnibus patrocinare. *Si æger es, aut sanus*, ægroti, aut sani personam bene age; quia non quam personam agas, sed quam bene illam agas, interest: *quomodo fabula, sic vita, non quamdiu, sed quam bene acta sit, refert* (Senec., ep. 77).

Multum quidem interest, ut in humanæ vitæ comœdia quisque non segniter, non desidioso, sed recte et perfecte personam suam agat: quia in tremendo iudicio non quæret justus iudex, an in hoc mundo hanc vel illam personam suam

quis egerit, verum an bene personam suam quisque egerit, et quemque præmiabit, vel puniet, prout bene vel male personam suam gesserit. Petrus, Paulus, Joannes Baptista, Stephanus, et alii sancti magnis in cœlo afficiuntur præmiis, quia suam in hoc mundo personam perfecte egerunt: Judas vero, Cainus, Antiochus, et alii innumeri reprobi ad tartara missi sunt, quia suas in hoc mundo partes non recte egerunt. *Judas, inquit Cardinalis Bellarminus, ex theatro explosus, in gehennæ incendium ruit: Stephanus vero totius comœdiæ plausibus exceptus, ad cœlum cum honore sublatus fuit*: cujus rei causam assignat, dicens, hæc ita facta esse, *quia Stephanus discipuli personam egit bene, Judas autem personam apostoli egit male*. Quod de S. Stephano et de Juda dicit Bellarminus, hoc de omnibus aliis dicendum: licet enim rusticus, servus, coquus aut mechanicus fueris, si personam tibi datam recte sustinueris, in cœlo cum Stephano æternum præmiaberis, e contra, quamvis imperator, rex, pontifex, jurisconsultus aut insignis theologus extiteris, si personam tuam male egeris, æternis cruciatibus cum Juda addiceris. Igitur, quantum tibi fas erit, sedulo inquire, quam in hujus vitæ comœdia a te personam sustineri Deus statuit, ac pro viribus illam perfecte sustine, et ut æterna supplicia divites, et ut cœlestia præmia obtineas. Personam suam in hoc mundo se recte sustinuisse dicebat Cæsar Augustus: moribundus enim ad circumfusam aulicorum turbam novissima hæc verba protulit, *nonne belle in hoc communi vitæ teatro partes meas egi?* O quam felices, si instante mortis hora, vere dicere possemus, nos partes nostras belle et perfecte egisse! O quam felix hic religiosus, qui in hora mortis dicere posset: nonne veri religiosi partes egi? quam felix christianus ille, qui dicere posset: nonne veri christiani partes sustinui? heu tamen, quam pauci in hujus mundi teatro vere et perfecte personam suam agunt! quot iudices tribunalia conscendunt, non ut æquitati consulant, et ut cuiusque jura tueantur, sed ut in eas declinent partes, ad quas amici, magnates, vel munera inclinant? quot mercatores

pondus et pondus, mensuram et mensuram habent, suisque fraudibus emptores decipiunt? quot divites usuris vacant? quot juvenes foedis se lasciviis dedunt? quot adolescentulæ perversis ganeonum suasionibus illectæ, omni se libidini prostituunt? quot matrimonio junctæ extraneis amplexibus famam, animam, fidemque marito juratam perdere non verentur? quot tandem christiani non christiane vivunt? Certe in hujus vitæ comœdia pauci et paucissimi personam suam recte gerunt: propterea, inquit Tertullianus, ab hujus mundi comœdia fit transitus ad tremendam ultimi judicii tragœdiam, in qua plectentur quotquot in hoc mundo partes suas male sustinuerunt: *supersunt alia spectacula: ille ultimus, et perpetuus judicii dies*. In hac tragœdia, detracta larva, apparebunt hypocritæ, qui in hujus mundi theatro videbantur hominibus jejunantes: ibi apparebunt reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur cum ipso Jove: ibi præsidēs persecutores dominici gregis; ibi iudices iniqui, mercatores fraudulentī, et omnes mali christiani; ibi tandem quotquot in hoc mundo male personam suam sustinuerunt, ingemiscentes apparebunt, non ut præmientur, sed *ut intereant in sæculum sæculi*. O formidandam tragœdiam! in qua ut securus appareas, tuam perfectam personam age in ista vita, quæ vera comœdia est, et quæ etiam *peregrinatio est*.

III PARS.

Vita nostra peregrinatio est.

Filii Seth, qui primi externo et solemnī cultu Deum adorare cœperunt, vocati sunt Hebræi, id est, *transitores*, quia se ut peregrinos et transitores inspiciebant in hoc mundo, a quo ad celestem patriam migrare sperabant et exoptabant. Peregrini illi, peregrini et omnes homines, quia dum in hoc mundo vivunt, peregrinantur a Domino, et per fidem tamquam peregrini ambulat, ut tandem aliquando ad patriam suam, seu in cœlum perveniant: *dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino:*

per fidem enim ambulamus (1. Cor. 5, 6). In hoc quidem mundo ambulamus per fidem, quia quamdiu in eo peregrinamur, Deum per fidem cognoscimus, et ad eum per fidem tendimus, ut tandem intuitivam ejus visionem aliquando assequamur. Duo contraria et opposita asserere videtur Apostolus; nempe quod *nostra conversatio in cœlis est*, et quod *dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (Philipp. 3, 20). Quomodo enim potest anima eisdem tempore, et in corpore peregrinari a Domino, et in cœlis simul esse cum Domino? Hanc difficultatem, inquit Hugo Cardinalis, solvit ipse Apostolus, dicens, quod *ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (2. Cor. 13, 9). In quantum enim Deum aliquo modo cognoscimus, jam cum Domino sumus; in quantum autem tamquam de futuris prophetamus, credentes quæ non intelligimus, sperantes quæ non videmus, a Domino peregrinamur, et tamquam peregrini in hoc mundo vivimus: *peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus*. Sanctorum qui in cœlo sunt, vita non est peregrinatio, quia sunt in celesti patria, ubi Deum vident, Deum amant, Deum possident, et per ejus visionem, amorem et possessionem vivunt vita beata, permanente, et æterna; quamdiu vero in hoc mundo sumus, nec Deum intuitive videmus, nec eum amamus amore beatifico, in hoc mundo quasi errantes peregrinamur, ut ad ipsum tendamus, et ad ejus possessionem aliquando perveniamus. Et ideo vita nostra nil nisi quædam peregrinatio est, omnesque vitæ nostræ dies sunt *dies peregrinationis*: omnes enim vita nostra peregrinatio est. Ac, ut ait Nilus Abbas, cœlum, terram, et omnia clamant, nos in hoc mundo peregrinos, vitamque nostram nil aliud esse, quam veram peregrinationem: *Clamat cœlum, peregrinus es, dum te expecto. Clamat terra, peregrinus es, dum te detineo. Clamat elementum, peregrinus es, dum te corrumpo*. Peregrinus es, o homo, tu quisquis ille sis, peregrinus es in hoc mundo, in quo non habes civitatem permanentem, undique peregrinaris, ut civitatem tuam, seu cœlestem beatitudinem inquiras, et ad eam aliquando pervenias, *non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram*

inquirimus (Hebr. 13, 14). Non solum in qualibet civitate, verum et in ipsa domo tua peregrinus es; *unusquisque*, ait Augustinus, *in domo sua hospes est; velit, nolit, hospes est, quia inde transiturus est*. Nec dicas te domum a patre habere, et ideo non hospitem, sed verum ejus possessorem esse, quia, inquit Augustinus, sicut pater tuus hanc domum dimisit, ideo hospes fuit, sic tu eam dimittes, et ideo etiam hospes es; *non te fallas; hospes es, velis, nolis, cessit tibi locum pater tuus, cessurus es tu locum aliis*. Credis, o homo, te immortalem esse, vivis ac si æternum in domo tua mansurus esses, attamen velis, nolis, in ea hospitari, et tamquam peregrinus et hospes ab ea brevi exibis: *non te fallas, hospes es*. O princeps potentissime, qui tot tibi palatia construi et exornari sollicitè curas, *non te fallas, hospes es*. O doctissime, et zelantissime concionator, qui hominum plausus undique excitas; *non te fallas, hospes es*. O mercator opulente, qui tantam pecuniarum copiam summo studio congregasti, *non te fallas, hospes es*, domusque tua, et totus mundus, quasi hospitium et diversorium tibi est, in quo veluti peregrinus hospitarius. Sicut in magnis civitatibus varia sunt hospitia; variis nominibus, a signis quæ exterius ponuntur, indicata, ita totus iste mundus est quasi magna civitas, variis conferta diversoriis et hospitiiis, ad quæ omnes penitus homines veluti peregrini divertunt. In magnis civitatibus, a signis quæ extra hospitia oculis transeuntium obijciuntur, dicimus, quod aliqui hospitantur ad imperatorem, alii ad caput aureum, nonnulli ad pavonem, vel leonem, etc.: sic in hoc mundo hospitantur multi *ad imperatorem*, ambitiosi, scilicet, qui ad terrenas dignitates anhelant: *ad caput aureum* divertunt alii nempe avari, quorum cogitationes et desideria ad auri et divitiarum possessionem tendunt: *ad pavonem* declinant superbi, *ad leonem* iracundi, *ad porcum* luxuriosi, *ad canem* gulosi, *ad psittacum* garruli et garrulæ, *ad median lunam* insipientes, et *ad mundum inversum*, quicumque terrena celestibus, humana divinis, corpus animæ et carnem spiritui anteponunt. O malos hospites! oh fatuitatem hominum, qui nil curant de æterna mansione!

Sua etiam hospitia habent justi, quia justi et peccatores, ac omnes penitus homines peregrini et hospites sunt in hoc mundo: *omnis homo peregrinus fit nascendo, quia compellitur migrare moriendo*. Cum ergo simus omnes peregrini, cumque tota vita nostra nil nisi continua peregrinatio sit, vivamus ut peregrini, et per hunc mundum tamquam peregrini iter habeamus: *ætima te peregrinum*, inquit Abbas Olimpius, *et ubicumque fueris, dic: peregrinus sum super terram*. Diversorium est totus mundus, inquit Seneca: cur ergo in rebus mundi contemplantis et colligendis immoramur? *quid quid circa te jacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas spectans, transeundum est* (lib. 17, ep. 103). Canes in bibendis Nili aquis non immorantur, sed juxta flumen illud currentes lambunt, ne a Crocodilis vorentur. Idem nobis faciendum; et ne a tartareis comprehendamur Crocodilis, qui in mundo latitant; necessaria solummodo e mundo sumenda, cætera pertranseunda. Transeamus sicut Achimaas et Jonathas, de quibus legitur, quod *transierunt festinanter gustata paululum aqua* (2. Reg. 17, 20): sic de aquis et de mundi bonis paululum, et solummodo quæ necessaria sunt, gustemus: transeuntem pertranseamus; propere prætereuntem prætereamus, ut ad celestem patriam properemus. Ut Jerusalem peteret Christus Dominus, Jericho pertransivit: nos quoque qui Jerusalem celestem ut patriam nostram agnoscimus, Jericho, id est fallacem mundum pertranseamus: mundi rebus cor et affectum non figamus; sed quasi peregrini transeamus, ut versus celestem patriam pergamus. *Peregrinus ad patriam suspirat, ad patriam tendit: vestitum et victum habens, non vult aliis onerari* (D. Bern., *de modo bene viven.*, 7): sic nos qui peregrini sumus in hoc mundo, terrena contemnere, transitoria pertransire, mundi bonis ad necessitatem uti, et ad patriam celestem anhelare debemus. *Peregrinus via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram; si forte jurgantes viderit, non attendit: si nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, et non pertinet ad eum de talibus* (Id. serm. 7 in Quad.). Nos similiter,

cum in hoc mundo peregrini simus, mundi rebus non adhæreamus, ejus negotiis plus quam par est nos non immisceamus, ac hoc mundo tamquam non utentes utamur. *Charissimi*, ait Princeps Apostolorum (Ep. 1, 2), *obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriiis*. Non immorandum in inquirendis iis quæ carni placent; non sistendum in hoc mundo, ut gulæ, et libidini satisfaciamus; a carnalibus, et perversis omnibus mundi desideriiis abstinendum: *abstinere vos a carnalibus desideriiis*. Pueri in plateis cum sociis ludentes, obliviscuntur ire quo missi erant: stultos similiter viatores reperire est, qui in caupona ludentes, aut in pratis flosculos colligentes, moras nectunt, et quandoque eo obliviscuntur ire, quo tendebant: *stultus viator est, qui in itinere ancena prata conspiciens, obliviscitur ire, quo tendebat* (S. Greg. ho. 14 in Ev.). Ne pueros illos, ne stultos hujusmodi imitemur viatores; terrenis hisce ne ita hæreamus ut patriæ cœlestis, ad quam tendimus, obliviscamur. Ejus non obliviscatur Vates regius, dicens: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea* (Psal. 136, 5). Ejus non obliviscatur, quin contra ad eam anhelabat D. Paulus, qui exclamabat: *cupio dissolvi, et esse cum Christo* (Philip. 1). Recordemur et nos, suspiremus et nos, anhelemus et nos ad cœlestem patriam, ac cum propheta regio dicamus: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*: vel cum D. Augustino clamemus: *O patria nostra, patria secunda! a longe te videmus, ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus*; optemus eam, suspiremus ad illam, terrenis contemptis ad illam tendamus. Vita nostra *concedia est*, ne tanti eam faciamus: *vita nostra concedia est*, ne tanto affectu eam diligamus: *vita nostra peregrinatio est*, ne ei tam fortiter adhæreamus; sed ad æternam suspiremus, ad quam nos ducant. Pater, Filius et Spiritus Sanctus. *Amen.*

DOMINICA SECUNDA.

DE PARADISI BONIS.

Domine, bonum est nos hic esse (Matth. 17, 4).

Errant cæci peccatores, qui in transitoriis mundi voluptatibus tabernaculum figentes, in iis immorari et conquiescere cupiunt; ac cœlestium obliiti in hoc mundo diu et quasi in æternum vivere concupiscunt, intra se dicentes: *bonum est nos hic esse*. Ut enim ait S. Bernardus (Ser. 6, de Ascens.): « non est bonum in hoc mundo esse: imo vero molestum est, grave est, periculosum est. Nimirum ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum, si tamen vel modicum invenitur; ubi viscosa omnia, omnia lubrica, aperta tenebris, obsessa laqueis peccatorum; ubi periclitantur animæ, ubi spiritus alliguntur, ubi tantum vanitas et afflictio spiritus est ». Non optandum quidem diu in hoc mundo vivere, ubi tot crimina, tot miseriæ, totque pericula; ad cœlum, ubi omnium est ubertas bonorum, cuncta nostra dirigenda sunt vota, cunctique sunt affectus inclinandi. Etiamsi in hoc mundo spiritualibus etiam multis fruamur deliciis: etiamsi ipsum Christum transfiguratum, et gloria ineffabili radiantem videamus; cum Petro tamen dicere non licet: *bonum est nos hic esse*. Minime quidem hujus mundi bonis adherendum, verum ad cœlestia anhelandum; quorum comparatione cuncta quæ in hoc mundo degustamus bona, sive spiritalia illa sint, sive corporæ, stilla sunt, pulvis sunt, nihil sunt. Ut ad cœlestia bona appetenda quisque alliciatur quæ et qualia illa sint, jam explicare pertentabimus, eo saltem modo quo explicari possunt ab infirmo oratore. *Ace.*

Hujus mundi bona parva, mixta et transitoria sunt. *Parva* quidem sunt; et licet ab hominibus plurimi æstimentur, ambiantur et summo affectu inquirantur a Deo tamen, ab An-